



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. Baptismus cum fictione susceptus producit-ne gratiam, recedente fictione per veram pœnitentiam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 89*

operante ) talis decedens , non statim pervenit ad vitam aeternam , sed patietur pœnam pro peccatis prateritis ; ipse tamen salvus erit quasi per ignem , ut dicitur I. ad Cor. 3.

Et Divus Bonaventura ait : In Baptismo flaminis , qui est per pœnitentiam & Spiritus sancti gratiam , purificamur à culpa . In Baptismo fluminis purificamur à culpa , & à satisfactoria pœna . In Baptismo sanguinis purificamur ab omni miseria .

S. Bonav. 3<sup>o</sup>  
p. Centilo-  
quii, sect. 48.  
De Baptismo,

*Quæst. 7. Quinam sunt cæteri Baptismi effectus ?*

*Resp.* Baptismus nos efficit idoneos ad alia Sacra menta suscipienda : Unde Si quis Presbyter , ut dicitur in Canone , Ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum , baptizetur , & iterum ordinetur .

Can. Si quis.  
De Presbitero  
non baptizato.

*Quæst. 8. Baptismus cum fictione susceptus , producit-ne gratiam , recedente fictione per veram pœnitentiam ?*

*Resp.* Per Baptismum fictè susceptum non intelligimus Baptismum simulata & ludicra irrisione collatum , vel receptum , non habentibus ministro & suscipiente intentionem faciendi quod facit Ecclesia ; tunc enim evidens est , non solum Baptismum nullum sortiri effectum , sed nec Baptismi essentiam continere , ad cuius perfectionem intentio faciendo quod facit Ecclesia , cùm in ministrante , tum in baptizato omnino desideratur .

Per Baptisma ergo fictè susceptum , illud intelligitur in quo quidem omnia ad Sacra menti essentiam pertinentia reperiuntur , & materia debita , & forma solita , & intentio faciendi quod facit Ecclesia : sed tamen per sacrilegam suscipientis , peccati mortalis conci , nec verâ contritione pœnitentis , voluntatem , non sortitur effectum . His præsuppo-

90 TRACTATUS II.

sitis respondeo, recedente fictione, à Baptismo produci gratiam, ut ait Divus Augustinus  
*Can. Tunc va-* relatus in Canone. Tunc valere incipit ad sa-  
*lere. De Conf.* lutem Baptismus, cùm illa fictio veraci con-  
*dist. 4.* fessione recesserit, qua corde in malitia vel  
sacrilegio perseverante, peccatorum abolitio-  
nem non sinebat fieri.

Ratio est, quia licet facta Sacramentorum susceptio mala sit, ipsa tamen Sacra menta sancta sunt, utpote merita Christi virtualiter continentia; manentque in acceptatione divina, cuius proinde voluntatem movent ad eorum effectum ex merito Redemptoris, sublat o obice, conferendum: quamvis enim opus mortuum reviviscere non possit, quod nunquam vixit, ac proinde sacrilega Baptismi susceptio vivificari nunquam possit; merita tamen Salvatoris, à quibus totam accipiunt Sacra menta virtutem, semper vivunt, & vi tam in Sacramento homini tribuunt per pénitentiam resurgent i: quod egregio exemplo

D. Tho. 3. p. illustrat Divus Thomas. Dicendum, inquit,  
q. 69. art. 10. *quod Baptismus est quadam spiritualis rege-*  
*in corpore* *naturatio. Cùm autem aliquid generatur, simul*  
*eum forma recipit effectum forme, nisi sit ali-*  
*quid impediens, quo remoto forma rei gene-*  
*rate perficit suum effectum; sicut simul cum*  
*corpus grave generatur, movetur deorsum,*  
*nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim*  
*incipit moveri deorsum. Et similiter quando*  
*aliquis baptizatur, accipit characterem quasi*  
*formam, & consequitur proprium effectum,*  
*qui est gratia remittens omnia peccata. Impe-*  
*ditur autem quandoque per fictionem: unde*  
*oportet quod remotâ ea per pénitentiam, Bap-*  
*tismus statim consequatur suum effectum.*

Confirmatur ex illo Joannis tertio: *Nisi*  
*quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto*

*De Sacram. Baptismi. Cap. VII. 91*  
non intrabit in regnum Cœlorum: Unde sic  
arguo, nemo potest introire in regnum Cœlo-  
rum, nisi gratiâ regenerativâ, & peccati ori-  
ginalis remissivâ perfundatur: sed gratia rege-  
nerativa, & peccati originalis remissiva est  
proprius Baptismi effectus: ergo gratia rege-  
nerativa & peccati originalis remissiva, quæ  
facto converso in justificatione tribuitur, vir-  
tute Baptismi reviviscentis confertur, cum  
hujusmodi supernaturalis nativitatis effectus,  
nunquam ab Ecclesia, nunquam à Patribus  
aliis Sacramentis assertus inveniatur.

---

## C A P U T   V I I .

### *De Ceremoniis Baptismi.*

*Quæst. 1.* **Q**UARE ceremoniæ Baptismi  
fieri incipiuntur extra fores  
Ecclesiæ?

*Resp.* Ut ait sanctus Carolus. *Ante fores Ec-*  
*clesiæ qui Baptismo initiandi sunt, offerun-*  
*tur, propterem quod indigni sunt qui more*  
*Fidelium, domum Dei, antequam Christo*  
*Domino se addixerint, ingrediantur.*

*S. Carolus  
Act. p. 4.  
De Cerem. que  
præiusquā Bap-  
tisma ministretur, ad-  
hibentur.*

Quare opus est ut baptizandus aut per seip-  
sum, aut per suscipientem, si careat usu ra-  
tionis, promittat se velle vivere in fide Ca-  
tholicæ Ecclesiæ opitulante gratia Dei.

*Quæst. 2.* Unde impositio nominis, quæ fit  
baptizato?

*Resp.* *Nomine denique, inquit sanctus Ca-*  
*rolus, quod parentes imponi volunt, appella-*  
*tur, quod ostendit eum qui Baptismo initia-*  
*tur Christi Domini servituti addici: cùm no-*  
*minis impositio signum sit dominii; quam ob-*  
*causam cùm vellet Deus docere Adam, eum*

*D. Carolus,  
Act. part. 4.  
ibid.*